

ARTICULUS IV.

Utrum conscientia sit actus.

1.2. quest. LXXIX. art. 3. & de ver. quest. XVII. art. 1.

1. AD quartum sic proceditur. Videtur quod conscientia non sit actus. Origenes enim dicit, super Epist. ad Rom. cap. 11. quod conscientia est spiritus corrector, & pædagogus animæ, sibi sociatus, quo separatur à malis, & adhereret bonis. Sed spiritus vel nominat potentiam, vel etiam ipsam essentiam animæ. Ergo videtur quod conscientia non sit actus.

2. Præterea. Conscientia, secundum quod à quibusdam describitur, est dictamen rationis, quo iudicatur, & ligatur ad faciendum, & non faciendum. Sed iudicium de hoc faciendo, vel non faciendo, ut dictum est, pertinet ad liberum arbitrium. Ergo conscientia est liberum arbitrium. Sed liberum arbitrium non est actus. Ergo nec conscientia.

3. Præterea. In Glossa Ezech. 1. dicit Hieronymus postquam de synderesi locutus est: Hanc autem conscientiam interdum præcipitari videmus. Ergo videtur quod conscientia sit idem quod synderesis. Sed synderesis non nominat actum, sed potentiam, vel habitum. Ergo videtur quod etiam conscientia.

4. Præterea. Conscientia est scientia quædam. Sed scientia nominat habitum. Ergo & conscientia.

5. Præterea. Damascenus dicit, Lib. IV. Fid. orth. cap. XXI. quod conscientia est lex intellectus nostri. Sed lex intellectus est ipsa lex naturalis, quæ est habitus principiorum juris. Ergo videtur quod conscientia sit habitus, & non actus.

6. Præterea. Omnis actus vel generat habitum, vel saltem ex aliquo habitu est productus. Si igitur conscientia est actus quidam, oportet quod multiplicatis actibus generetur habitus, qui conscientia dicitur; vel quod saltem tales actus ex habitu aliquo procedant, quod in idem redit.

Sed contra. Conscientia peccatum aggravare dicitur. Sed aggravatio peccati esse non potest nisi per hoc quod contradicitur actuali rationis considerationi. Ergo videtur quod conscientia actualem rationis considerationem nominet.

Præterea. Ut dictum est, conscientia à quibusdam dictamen rationis dicitur. Sed dictamen actum quemdam nominat, secundum quod ratio aliquid faciendum diiudicat. Ergo videtur quod conscientia actum nominet.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod conscientia multis modis accipitur. Quandoque enim dicitur conscientia ipsa res conscita; & sic sumitur I. Timoth. 1.2. (1) Charitas procedit de conscientia bona. Glossa: Id est spes: quia ex meritis quæ conscientia tenet, motus spei insurgit. Quandoque vero dicitur habitus, quo quis disponitur ad consciendum; & secundum hoc ipsa lex naturalis, & habitus rationis consuevit dici conscientia. Quidam etiam dicunt, quod conscientia quandoque potentiam nominat; sed hoc nimis extraneum est, & improprie dictum: quod patet, si diligenter omnes potentie animæ inspiciantur.

(1) Vulgata: Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

tur. Nullo autem horum modorum conscientia sumitur, secundum quod in usum loquentium venit, prout dicitur ligare, vel aggravare peccatum: nullo enim ligatur ad aliquid faciendum nisi per hoc quod considerat hoc esse agendum: unde quamdam actualem considerationem rationis, per conscientiam, communiter loquentes intelligere videntur: sed quæ sit illa actualis rationis consideratio, videndum est.

Sciendum est igitur, quod, sicut in VI. Ethic. cap. VIII. Philosophus dicit, ratio in eligendis, & fugiendis, quibusdam syllogismis utitur. In syllogismo autem est triplex consideratio, secundum tres propositiones, ex quarum duabus tertia concluditur. Ita etiam contingit in proposito, dum ratio in operandis ex universalibus principiis circa particularia iudicium assumit. Et quia universalia principia juris ad synderesim pertinent, rationes autem magis appropriatæ ad opus, pertinent ad habitus, quibus ratio superior, & inferior distinguuntur; synderesis in hoc syllogismo quasi majorem ministrat, cuius consideratio est actus synderesis; sed minorem ministrat ratio superior, vel inferior, & eius consideratio est ipsius actus; sed consideratio conclusionis elicitæ, est consideratio conscientie. Verbi gratia, synderesis hanc proponit: Omne malum est vitandum: ratio superior hanc assumit: Adulterium est malum, quia lege Dei prohibetur: sive ratio inferior assumeret illam, quia ei est malum, quia iniustum, sive inhonestum: conclusio autem, quæ est, adulterium hoc esse vitandum, ad conscientiam pertinet, & indifferenter, sive sit de præsentibus, vel de præteritis, vel futuro: quia conscientia & factis remurmurat, & faciendis contradicit: & inde dicitur conscientia, quasi cum alio scientia, quia scientia universalis ad actum particularem applicatur: vel etiam quia per eam aliquis sibi conscius est eorum quæ fecit, vel facere intendit: & propter hoc etiam dicitur sententia, vel dictamen rationis: & propter hoc etiam contingit conscientiam errare, non propter synderesis errorem, sed propter errorem rationis; sicut patet in hæretico, cui dicitur conscientia quod prius permittit se comburi quam juret: quia ratio superior perversa est in hoc quod credit, iuramentum simpliciter esse prohibitum. Et secundum hunc modum patet, qualiter differant synderesis, lex naturalis, & conscientia: quia lex naturalis nominat ipsa universalia principia juris; synderesis vero nominat habitum eorum, seu potentiam cum habitu; conscientia vero nominat applicationem quamdam legis naturalis ad aliquid faciendum per modum conclusionis cuiusdam.

Ad primum ergo dicendum, quod spiritus quandoque sumitur pro spirituali quadam operatione, & pro spirituali dono; & hoc modo sumitur hic spiritus, & non pro natura animæ.

Ad secundum dicendum, quod iudicium ad liberum arbitrium pertinet, ad conscientiam, & synderesim; sed diversimode: quia ad liberum arbitrium pertinet iudicium, quasi participative, quia per se voluntatis non est iudicare: unde ipsum iudicium electionis liberi arbitrii est; sed iudicium per se vel est in generali, & sic pertinet ad synderesim, vel est in particulari, tamen infra limites cognitionis persistens, & pertinet ad conscientiam: unde tam conscientia, quam electio, conclusio quædam est particularis vel agendi, vel fugiendi; sed conscientia conclusio cognitiva tantum, electio conclusio

sio affectiva: quia tales sunt (2) conclusiones in operativis, ut in VI. Ethic. ubi supra, dicitur.

Ad tertium dicendum, quod tota virtus conclusionis, ex primis principiis trahitur; & inde est quod conscientia, & synderesis frequenter pro eodem accipiuntur, & iudicium utrique attribuitur, & præcipue iudicium universale, quod per delectationem peccati non corrumpitur; sed magis iudicium in particularibus: & ideo non dixit synderesim præcipitari, sed conscientiam.

Ad quartum dicendum, quod conscientia & actum, & habitum nominare potest: est enim scire in habitu, & scire in actu: unde & conscientia diversimode accipi potest, ut dictum est.

Ad quintum dicendum, quod conscientia, secundum quod accipitur pro habitu, potest dici lex naturalis, quia ex habitu illo præcipue actus conscientie elicitur.

Ad sextum dicendum, quod habitus ille ex quo nascitur actus conscientie, non est habitus separatus ab habitu rationis, & synderesi: quia non alius habitus est principiorum, & conclusionum quæ eliciuntur ab eis; & præcipue earum quæ sunt circa singularia, quorum non est habitus scientie, nisi secundum quod continentur in principiis universalibus.

EXPOSITIO PRIMÆ PARTIS TEXTUS.

SED (3) non perficere bonum. Intelligendum est de bono meritorio.

Quia nihil in eo erat quod ad malum impelleret. Videtur hæc causa esse insufficientis: quia in Christo etiam nihil fuit ad malum impellens, & tamen resistendo malo meruit. Et dicendum secundum quosdam, quod hoc intelligitur non de quolibet merito, sed de merito satisfactionis, ad quam poena requiritur. Sed hoc non videretur esse ad propositum, quia Adam merito satisfactionis non indigebat; & ideo aliter potest dici, quod ratio meriti ex duobus potest sumi: vel ex habitu informante; & sic omnis actus, vel facilis, vel difficilis, gratia informatus meritorius est: vel ex conditione actus, præcipue in quo est difficultas; & hanc rationem merendi in resistendo peccato non habuit.

DIVISIO SECUNDÆ PARTIS TEXTUS.

Illud quoque prætermittendum non est, quod talis nunc in unoquoque homine est ordo tentationis, & progressio, qualis tunc in primis præcessit parentibus. Ostensa diversitate quadam partium animæ, hic ostendit quomodo contingat in eis peccatum esse: & dividitur in partes tres. In prima ostendit qualiter in unaquaque parte animæ possit esse peccatum mortale, & veniale. In secunda assignat huiusmodi digressionis, quam fecit, causam, ibi: Hæc de partibus animæ inseruimus, ut ipsius animæ natura plenius cognosceretur. In tertia removet quamdam dubitationem quæ posset accidere, distinguendo sensualitatis nomen, ibi: Non est autem silentio prætereundum, quod sæpe in Scriptura nomine sensualitatis... etiam inferior portio rationis... intelligitur. Prima dividitur in duas. In prima adaptat per quamdam similitudinem processum peccati in viribus animæ peccatorum parentum, quantum ad virum, & mulierem, & serpentem. In secunda ostendit, qualiter in II. Sent. Tom. II.

(2) Al. conditiones in operatis. (3) Al. Sed nunc perfice bonum. Supple vero ex Magistri textu: poterat quidem per illud auxilium gratiæ creationis resistere malo, sed etc.

singulis contingat esse peccatum, ibi: Nunc superest ostendere, quomodo per hæc tria in nobis consumitur peccatum. Et circa hoc tria facit. Primo ostendit, qualiter contingat in partibus animæ peccatum mortale, vel veniale esse. Secundo summam colligit ea quæ dixerat, ibi: Itaque ut breviter summam perstringam etc. Tertio inducit auctoritates ad confirmandum, ibi: Hæc autem Augustinus in Lib. XII. de Trinitate tradit ita.

QUESTIO III.

HIC quaeruntur sex.

1. Primo. Quis motus sit sensualitatis, & rationis inferioris, & superioris.

2. Secundo. Utrum motus sensualitatis possit esse peccatum.

3. Tertio. Utrum in ratione possit esse peccatum.

4. Quarto. Utrum delectatio rationis inferioris alio modo possit esse peccatum mortale, si diu permaneat.

5. Quinto. Utrum in ratione superiori possit esse peccatum veniale.

6. Sexto. Utrum veniale per multiplicationem, vel alio modo possit esse mortale.

ARTICULUS I.

Utrum motus sensualitatis, & rationis superioris, & inferioris convenienter, & sufficienter assignetur in littera.

1. AD primum sic proceditur. Videtur quod insufficienter, & inconvenienter distinguantur in littera motus sensualitatis, & inferioris, & superioris rationis. Omnis enim virtus naturaliter in suum objectum movetur. Sed virtus generativa, & nutritiva est quædam naturalis virtus. Ergo habet aliquem motum naturalem in actum generationis, & comestionis: & ita præter motum sensualitatis, & rationis, oportet ponere motum naturalem.

2. Præterea. Motus specificatur per terminum, & actus per objectum. Sed aliquis actus peccati est actus generativæ, & objectum alicuius actus peccati est objectum generativæ, & nutritivæ. Ergo motus in istud objectum ad generativam pertinet; & non ad sensualitatem, & rationem: & ita insufficienter motus animæ dividuntur.

3. Præterea. Diversarum potentiarum diversa sunt delectabilia, sicut & diversæ operationes: delectatio enim operationem sequitur, ut in X. Ethic. cap. VI. dicitur. Sed sensualitas, & inferior ratio sunt diversæ potentie. Ergo delectationem non habent circa idem: & ita inconvenienter ratio inferior ponitur circa idem delectari in quo delectatur sensualitas.

4. Præterea. Sicut supra dictum est, ratio superior, & inferior non differunt per essentiam potentie; sed in respectu eiusdem objecti per diversa media negotiari habent. Si ergo rationi inferiori attribuitur delectatio circa sensibilia ex hoc quod de sensibilibus negotiari habet per rationes civiles, & a rebus creatis sumptas, videtur quod etiam superiori rationi possit aliqua delectatio circa sensibilia ascribi, ex hoc quod de eis per rationes divinas negotiatur, secundum quod intendit æternis consulendis, ut dictum est.

Gg in off. 2. Præ-

5. Præterea. Consensus pertinet ad eum cuius est iudicium. Sed ejusdem est iudicare, & regulare. Cum igitur ratio superior sit regula rationis inferioris, videtur quod consensus in delectationem ad rationem inferiorem non pertineat, sed ad superiorem.

6. Præterea. Eiusdem potentia non sunt diversi actus. Sed ratio inferior est una potentia. Ergo videtur quod inconvenienter assignentur sibi duo motus, scilicet delectari, & consentire in delectationem. Sed contra est quod in littera determinatur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod motus, ut dicit Philosophus, est via in ens: unde in partibus animæ motus proprie dicitur inclinatio ad aliquid: & ideo quibus viribus inclinatio non convenit, eis proprie motus non attribuitur. Inclinatio autem est in appetitu, qui movet in aliquid agendum: & ideo actus appetivarum virtutum, motus vocantur; non autem proprie actus apprehensivarum. Est autem in nobis triplex appetitus, scilicet naturalis, sensitivus, & rationalis. Naturalis quidem appetitus, puta cibi, est quæ non imaginatio gignit, sed ipsa qualitas naturalium dispositio, quibus naturales vires suas actiones exercent. Hic autem motus in nullo rationi subjacet, nec obediit: unde nec in eo peccatum esse potest: & ideo hic prætermittitur. Appetitus autem sensitivus est qui ex præcedenti imaginatione, vel sensu consequitur; & hic vocatur motus sensualitatis. Appetitus autem rationalis est qui consequitur apprehensionem rationis; & hic dicitur motus rationis, qui est actus voluntatis. Sed rationis apprehensio dupliciter esse potest. Una simplex, & absoluta, quando scilicet statim sine discussione apprehensum dijudicat; & talem apprehensionem sequitur voluntas, quæ dicitur non deliberata. Alia est inquisitiva, quando scilicet ratiocinando bonum, vel malum, conveniens, vel nocivum investigat; & talem apprehensionem sequitur voluntas deliberata. Ratio ergo inferior, quæ terrenis disponendis intendit, utroque modo motum voluntatis circa terrena elicere potest: vel quando subito apprehendit hoc esse conveniens, vel nocivum corpori; & tunc sequitur motus rationis inferioris, qui dicitur delectatio, quia tunc accipit illud quod corpori delectabile est ut faciendum: vel quando inquirendo deliberat; & tunc non potest sequi appetitus ante deliberationem finitam, & tunc consentire dicitur in delectationem. Ratio autem superior quia per se rebus terrenis non intendit, sed solum secundum quod regulatur rationibus æternis, non sequitur ipsam aliquis motus nisi deliberatus respectu horum terrenorum: & ideo respectu eorum non attribuitur sibi delectatio, sed solum ultimus consensus, qui est consensus in executionem operis.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut dictum est, motus naturalis ideo prætermittitur, quia in ipso peccatum esse non potest.

Ad secundum dicendum est, quod cum vires superiores aliquo modo ordinent inferiores circa actum generativæ, & nutritivæ, contingit esse actus etiam aliarum potentialium, vel sensus, vel rationis. Verbi gratia, maturatio seminis, & organizatio prolis, & huiusmodi, absolute ad generationem pertinent: & quia generativa nullo modo rationi obedit, ideo in his actibus nullo modo contingit esse peccatum. Sed

(1) Nicolai nec ad nutritivam.

appetitus delectationis, & delectatio ipsa quæ in coitu accidit, & alia huiusmodi, quæ ad virtutem sensitivam, & motivam pertinent, possunt ordinari à ratione, vel vitari: unde in his peccatum est, quæ nec ad potentiam generativam, (1) vel nutritivam pertinent.

Ad tertium dicendum, quod sicut contingit idem esse apprehensum per sensum, & rationem; ita etiam contingit idem esse desideratum per utrumque; & ideo quamvis non sit eadem operatio utriusque, tamen potest esse circa idem, & per consequens etiam delectatio quæ operationem consequitur: unde non est inconveniens, si circa idem sensus, & ratio delectatur, non tamen eodem modo; sed sensus delectatur in eo sub ratione delectabilis in sensu, ratio inferior secundum quod accipitur in ratione boni, vel convenientis ad regimen corporis.

Ad quartum dicendum, quod, sicut dictum est, ratio superior non habet motum circa res temporales, sicut deducendo ad eas per modum consilii rationes æternas: & ideo non se habet nisi ut deliberans de eis: & ideo sibi delectatio in his rebus non attribuitur, quæ nominat quamdam complacentiam non deliberatam; sed tantum consensus, qui deliberationem consequitur.

Ad quintum dicendum, quod ratio superior regulat inferiorem, & ratio inferior sensualitatem, & etiam seipsam aliquo modo dirigere potest. Quandoque autem sunt plura principia ordinata, semper ordinatio in ultimum attribuitur primo & summo; sicut patet in artibus subalternatis: quia civilis considerat ultimum finem humanæ vitæ; militaris autem victoriam, quæ est circa hunc finem, & sic de aliis: & secundum hoc dico, quod rationi superiori reservatur iudicium respectu ultimi, quod est executio operis; & ideo attribuitur sibi consensus in opus; rationi vero inferiori attribuitur iudicium respectu aliquorum ad opus ordinatorum: & ideo attribuitur sibi consensus in delectationem. Non tamen est dubium quin etiam superior iudicare possit de hoc de quo iudicat inferior: unde & consensus in delectationem, superioris esse potest, si fiat inquisitio per rationes æternas.

Ad sextum dicendum, quod delectatio, & consensus in delectationem non sunt diversi actus secundum genus, qui diversitatem potentie exigant; sed differunt per deliberatum, & non deliberatum; ut dictum est: unde non est inconveniens, utrumque rationi inferiori attribui.

ARTICULUS II.

Utrum in sensualitate sit peccatum.

1. 2. quæst. LXXIV. art. 3. & de ver. quæst. xxv art. 5.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod in sensualitate non possit esse peccatum. Sensualitas enim nobis, pecoribusque communis est, ut supra dictum est. Sed in pecoribus non est peccatum, ut de peccato agimus. Ergo nec nobis secundum sensualitatem peccatum convenit.

2. Præterea. Omne peccatum in voluntate est, secundum Augustinum I. Rertract. cap. XLIII. Sed sensualitas à voluntate seclusa est, cum voluntas sit in ratione, secundum Philosophum III. de Anima text. XLII. Ergo in sensualitate non est peccatum.

3. Præ-

3. Præterea. Virtus, & vitium cum sint contraria, sunt in eodem. Sed sensualitas, cum sit perpetua corruptio, secundum statum presentis vitæ, subjectum virtutis esse non potest. Ergo nec in ea peccatum esse poterit.

4. Præterea. Nulli imputatur aliquid ad culpam quod in ejus potestate non est. Sed motus sensualitatis non est in potestate nostra, cum deliberationem rationis præcedat. Ergo non potest esse peccatum.

5. Præterea. Actus proprius, & naturalis alicujus non potest esse peccatum. Sed moveri in delectabilia secundum carnem, est actus proprius, & naturalis sensualitatis, cum sit motus potentie in proprium objectum. Ergo in hoc non potest esse peccatum.

6. Præterea. Peccatum post mortem etiam in anima manet. Sed sensualitas non manet: quia solus intellectus separatur, ut Philosophus dicit in II. de Anima text. xx. & XII. Metaphysic. text. XVII. Ergo in sensualitate non est peccatum.

Sed contra. Augustinus dicit, quod nonnullum vitium est cum caro adversus spiritum concupiscit. Sed hoc non contingit nisi secundum inordinatos motus sensualitatis. Ergo in ea est vitium, & peccatum.

Hoc etiam expresse habetur per hoc quod in littera dicitur, quod si in motu sensuali tantum peccati illecebra teneatur, veniale, ac levissimum peccatum est. Ergo videtur quod saltem veniale peccatum in sensualitate esse possit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod omnes primi motus qui sensualitati adscribuntur, ut verba Augustini asserunt, peccatum sunt; sed motus præcedentes, quos supra naturales diximus, qui imaginem non sequuntur, sed solum naturalium qualitatum actionem, ratione peccati carent, secundum quod potest verificari quorundam dictum, qui dicunt, quod motus primo primi non sunt peccatum, sed motus secundo primi sunt peccatum, ut per primo primos motus naturales, & per secundo primos motus sensualitatis intelligamus, in qua peccatum est, etiam sicut in subjecto: quod sic patet. Peccatum enim, ut pertinet ad presentem considerationem, non est aliud quam inordinatus actus ad genus moris pertinens. Nullus autem motus ponitur in genere moris, nisi habita comparatione ad voluntatem, quæ principium est moralium, ut ex VI. Metaph. text. v. patet: & ideo ibi incipit genus moris ubi primo dominium voluntatis invenitur. Habet autem voluntas in quibusdam dominium completum, in quibusdam vero incompletum. Completum dominium habet in illis actibus qui ex imperio voluntatis procedunt; & hi sunt actus deliberationem sequentes, qui rationi adscribuntur. Sed incompletum dominium habet in illis actibus qui non per imperium rationis procedunt sed tamen voluntas eos impedire poterat, ut sic quod ammodo voluntati subjaceant, quantum ad hoc quod est impediri, vel non impediri: & ideo inordinatio quæ in his actibus contingit, rationem peccati causat, tamen incompleti: & ideo in his actibus peccatum levissimum, & veniale est; non autem mortale, quod est perfectum peccatum. Deformitas autem cujuslibet actus illi potentie attribuitur ut subjecto quæ actus principium est: & ideo cum sensualitas sit principium horum actuum, convenienter in ea peccatum esse dicitur ut in subjecto.

In II. Sent. Tom. II.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis sensualitas nobis, pecoribusque communis sit, tamen aliquid convenit sensualitati in nobis quod non convenit sibi in brutis, scilicet esse aequaliter subjectam rationi; ratione cuius in sensualitate humana potest esse peccatum, non autem in sensualitate brutali.

Ad secundum dicendum, quod omne peccatum est in voluntate, non sicut in subjecto, sed sicut in causa; sed voluntatem esse causam alicujus peccati contingit dupliciter: vel per se, ut quando actus peccati ex imperio voluntatis procedit; vel quasi per accidens, quando non impedit quod impedire potest, sicut dicitur aliquis facere id quod non impedit, cum impedire possit; & hoc modo est causa primorum motuum.

Ad tertium dicendum, quod electio est principale in virtute, ut Philosophus in III. Ethic. cap. IV. dicit: unde oportet omnem actum virtutis ex electione procedere: propter quod etiam virtutis habitus electivus dicitur in II. Ethic. (cap. VI. vel VII. in antiq.) & ideo virtus non potest esse nisi in illis actibus qui ex imperio voluntatis procedunt, quamvis etiam sint sensitivarum partium: propter quod in irascibili, & concupiscibili ponimus esse virtutem: & similiter etiam est de eo quod perfectam rationem peccati habet, quod per se virtuti opponitur: & ideo actus irascibilis, & concupiscibilis potest esse actus virtutis: vel peccati mortalis; sed sensualitas, ut supra dictum est, nominat partem sensitivam, secundum quod magis ad carnem depressa est, prout non sequitur in operando imperium voluntatis, sed movetur proprio motu: & ideo in ea non potest esse actus virtutis, vel peccati mortalis, sed quiddam incompletum in genere moris, quod est peccatum veniale.

Ad quartum dicendum, quod motus isti quodam modo sunt in potestate nostra, & alio modo non sunt. Si enim quilibet eorum singillatim consideretur, sic in potestate nostra sunt: quia quemlibet eorum præveniendū impedire possumus. Si autem omnes simul considerentur, sic in potestate nostra non sunt quia dum uni obviare nitimur, ex alia parte potest motus illicitus surrepere: non enim potest esse simul intentio renitentis voluntatis contra diversa in actu.

Ad quintum dicendum, quod aliquis actus potest esse proprius sensualitatis simpliciter, qui non est proprius sensualitatis secundum quod humana est: quoniam sensualitatis humanæ est ut ejus motus non sit contra rectitudinem rationis: unde sequitur quod aliquis actus in brutis est laudabilis, qui in homine est vituperabilis.

Ad sextum dicendum, quod quamvis potentie sensitivæ, secundum quorundam opinionem, per suam essentiam non maneant post mortem, manent tamen in sua radice, scilicet in essentia animæ, à qua potentie fluunt; & sic manet peccatum sensualitatis in anima, secundum quod peccatum unitus potentie in totum redundat.

ARTICULUS III.

Utrum in ratione possit esse peccatum.

1. 2. quæst. LXXIV. art. 5. & de ver. quæst. xv. art. 3.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod in ratione non possit esse peccatum. Ratio enim potentiam cognitivam nominat. Sed peccatum

ad affectum pertinet. Ergo in ratione peccatum non est.

2. Præterea. In III. de Anima (1. part. text. clvii.) dicit Philosophus, quod intellectus semper est rectus. Sed ubi est rectitudo perpetua, ibi non potest esse peccati curvitas. Ergo in ratione, quæ ad intellectum pertinet, peccatum esse non potest.

3. Præterea. Dionysius dicit iv. cap. de div. Nom. peccatum esse contra rationem. Si ergo in ratione esset peccatum, in ratione aliquid contrarium rationi existeret; quod est impossibile. Ergo & primum: scilicet in ratione peccatum esse.

4. Præterea. Superior ratio habet hunc actum ut contemplandis æternis inhæreat, sicut supra dictum est. Sed ex hoc quod aliquis æternis inhæret, non peccat. Ergo in ratione, ad minus superiori, non potest esse peccatum.

5. Præterea. In partibus animæ invenitur aliqua perpetuæ corruptionis, scilicet sensualitas: invenitur etiam aliqua in qua potest esse & peccati curvitas, & virtutis rectitudo. Ergo ad perfectionem potentiarum animæ oportet esse aliqua quæ sit perpetuæ rectitudinis. Sed hoc nulli congruentius adscribitur quam superiori rationi. Ergo in ea non potest esse peccatum.

Sed contra. Eligere ad rationem pertinet. Sed contingit esse electionem rectam, & non rectam. Ergo videtur quod in ratione possit esse peccatum.

Præterea. Sicut se habet ratio speculativa ad scibilia, ita se habet ratio practica ad operabilia. Sed in scibilibus contingit esse peccatum in ratione speculativa, ex eo quod quis non recte ratiocinatur. Ergo videtur quod etiam in operabilibus contingat esse in ratione peccatum, ex eo quod non recte eligitur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod rationis peccatum potest dici dupliciter. Uno modo ex eo quod est ipsius rationis secundum se; & sic dicimus esse in ratione peccatum, quando iudicando errat, sive sit in speculativis, sive in operativis; & hoc est peccatum in cognitione, ex eo quod male syllogizatur. Alio modo dicitur esse peccatum in ratione ex parte voluntatis, quæ per iudicium rationis regulatur, ut tunc in ratione peccatum esse dicatur, quando sequitur perversa electio. Sciendum est igitur, quod quidam Philosophi posuerunt, quod secundo modo non contingit esse in ratione peccatum, nisi etiam primo modo ratio erret; dicentes, omne peccatum ignorantiam esse, & scientem peccare non posse: quorum primus fuit Socrates, ut in VII. Ethic. c. 11. dicitur, hac ratione inductus, quod non videtur conveniens ut nobilissimum, quod est scientia, ab ignobilibus passionibus vincatur: unde si scientia, ab ignobilibus passionibus vincatur: quod quia ad sensum falsum apparet, ideo Philosophus in eodem Libro ostendit, quomodo contingat scientem peccare, distinguens scientiam in universali, & particulari; & similiter scientiam in habitu, & actu; & in habitu dupliciter: quia habitus aliquando ligatus est, ne in actionem exeat, ut in ebriis patet; quandoque autem non est ligatus: Dicit ergo, quod contingit peccantem esse scientem in universali, & in actu; in particulari autem non contingit esse scientem in actu, sed in habitu tantum ligato passione vel iræ, vel concupiscentiæ, ne ratio in rectam electionem prorumpat, sed motum passionis sequatur; & si etiam ore quis passioni subditus, ea quæ secundum rectam rationem sunt, proferat in particulari, non tamen mente

id tenet, sicut ebrius sapientum verba potest ore proferre, quæ intellectu non capit: & ideo cum ratio in operandis quodammodo syllogizet, invenitur iudicium rationis rectum in majori propositione, quæ universalis est; in minori autem propositione, quæ particularis est, admiscetur passio, quæ circa particulare viget: unde sequitur corruptio rationis in conclusione electionis. Verbi gratia, si dicatur. Nulla fornicatio est committenda, in hoc iudicium rationis perfectum est. Item proponatur alia, Omnis fornicatio est delectabilis. Sub quibus duabus assumatur una particularis, hæc scilicet, Accedere ad hanc mulierem est fornicatio. Si ratio sit fortis, ut nec etiam in particulari passione vincatur, inducet conclusionem negativam, eligens fornicationem non committere. Si autem passione vincatur, eliciet conclusionem affirmativam, eligens in fornicatione delectari: & sic sumitur hic esse peccatum in ratione, quando scilicet post rationis deliberationem, eo quod ratio in particulari corrumpitur per passionem, sequitur prava electio. Et si quidem deliberatio fiat per rationes divinas, dicitur esse peccatum in superiori ratione; ut si procedat ex hoc quod omne prohibitum lege Dei est vitandum. Si vero per rationes creatas, dicitur esse peccatum in inferiori ratione; ut si procedat ex hoc quod omne in quod transcenditur medium virtutis, est vitandum, vel aliquid huiusmodi.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio quamvis sit cognitiva potentia, tamen est directiva voluntatis: unde non potest esse peccatum in voluntate, nisi sit aliquo modo in ratione, præcipue cum voluntas non sit nisi boni, vel apparentis boni: unde malam voluntatem aliquo modo præcedit falsa æstimatio: sed peccatum contingit esse in ratione dupliciter, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod intellectus non est idem quod ratio. Ratio enim importat quemdam discursum unius in aliud; intellectus autem importat subitam apprehensionem alicujus rei: & ideo intellectus proprie est principiorum, quæ statim cognitioni se offerunt, ex quibus ratio conclusiones elicit, quæ per inquisitionem innotescunt: unde sicut in speculativis in intellectu principiorum non potest esse error, sed in deductione conclusionum ex principiis; ita etiam in operativis intellectus semper est rectus, sed ratio recta, & non recta.

Ad tertium dicendum, quod corrupta ratio non est ratio, sicut falsus syllogismus proprie non est syllogismus: & ideo regula humanorum actuum non est ratio quælibet, sed ratio recta: & ideo Philosophus in III. Ethic. cap. vi. & IX. cap. iv. dicit, quod homo virtuosus est mensura aliorum. Unde ex hoc non sequitur quod in ratione non sit peccatum, sed quod non sit in ratione recta.

Ad quartum dicendum, quod, sicut supra dictum est, ratio superior non tantum inhæret æternis conspiciendis per contemplationem, sed etiam consulendis ad directionem operis. Contingit autem quod deductio rationis quæ est ex rationibus æternis, corrumpatur per passionem, sicut etiam illa quæ est ex civilibus rationibus. Unde in utraque peccatum esse potest.

Ad quintum dicendum, quod in anima est aliquid quod est perpetuæ rectitudinis, scilicet synderesis: quæ quidem non est ratio superior, sed se habet ad rationem superiorem sicut intellectus principiorum ad ratiocinationem de conclusionibus.

AR-

ARTICULUS IV.

Utrum in delectatione rationis inferioris possit esse peccatum mortale.

1. 2. quæst. LXXIV. art. 6.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod in delectatione inferioris rationis non sit peccatum mortale: Non enim est peccare mortaliter nisi ejus cujus est advertere rationem divini præcepti, cum peccatum mortale determinetur ex eo quod est contra legem divinam. Sed advertere præceptum divinum, non est inferioris, sed superioris rationis, quæ æternas rationes consulit. Ergo peccatum mortale non potest esse in ratione inferiori, sed tantum in superiori.

2. Præterea. Ut communiter dicitur, nulla circumstantia peccatum aggravat in infinitum: quia quantitas quæ ex accidente relinquatur, non potest esse major quam essentialis quantitas peccati. Sed delectatio rationis inferioris, si non diu teneatur, est peccatum veniale, ut in littera dicitur. Ergo etiam per hoc quod diu tenetur, non efficitur mortale peccatum.

3. Si dicatur, quod non dicitur diuturna, vel morosa à mora temporis, sed ex consensu adveniente; contra. Consensus in veniale non est nisi venialis. Sed delectatio per se sumpta est veniale, ut dictum est. Ergo consensus in eam non erit mortalis.

4. Præterea. Non est mortale quod non est prohibitum lege divina. Sed consentire in huiusmodi delectationem, dummodo in opus non consentiatur, non est prohibitum lege divina. Ergo non est peccatum mortale.

5. Præterea. Majus est peccatum homicidii quam fornicationis. Sed si aliquis cogitet de occisionibus multorum, & in cogitatione delectetur, & in delectationem consentiat, non videtur peccare mortaliter. Ergo videtur quod nec etiam si consentiat in delectationem carnis, dummodo in actum non consentiat.

Sed contra est quod in littera dicitur in pluribus locis.

Præterea. Sicut vir poterat peccare mortaliter, ita & mulier in conjugio primorum parentum. Sed inferior ratio mulieris figuram exprimit. Ergo in ea mortale peccatum esse potest. Sed non secundum subitam delectationem. Ergo secundum delectationem morosam.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, delectatio rationis inferioris nihil aliud est quam complacentia voluntatis in eo quod apprehenditur conveniens per inferiorem rationem. Hæc autem delectatio, ut in littera dicitur, si statim ut mentem attrigerit, auctoritate viri expellatur; veniale peccatum est: hoc enim contingit quando talis complacentia sequitur subitam rationis apprehensionem. Si vero diu teneatur, peccatum mortale est. Hæc autem diuturnitas non est ex quantitate temporis iudicanda, sed magis ex deliberatione rationis. Si enim post deliberationem rationis inferioris adhuc delectatio illa placeat, morosa delectatio dicitur; & tunc erit in delectationem consensus; & tunc mortale peccatum est, ut Magister dicit, & verba Augustini sonare videntur: quamvis quidam in hoc Magistro contradi-

cant, auctoritates Augustini exponentes. Sed opinio Magistri valde probabilior est, & securior: quod sic patet. Quædam enim operationes sunt quæ ex suo genere peccata mortalia sunt, ut fornicatio, furtum, & huiusmodi: quod autem aliquod horum peccatorum mortale non sit, non potest esse nisi per accidens, in quantum scilicet ejus subjectum peccati mortalis capax non est, ut quando est in sensualitate tantum. Philosophus autem vult in X. Ethic. (cap. iv.) quod idem iudicium est de operatione, & delectatione. Unde si operatio est per se bona, & delectatio est per se bona, & e contrario. Quod ergo delectatio consequens per operationem quæ est per se peccatum mortale, non sit mortalis, hoc non est nisi per accidens, scilicet ex defectu subjecti: unde quando cumque mala delectatio, vel operatio reducitur ad hoc in quo potest esse perfecta ratio peccati, vel virtutis, de necessitate incipit esse peccatum mortale. Perfecta autem ratio virtutis, vel peccati mortalis non potest esse sine electione rationis consiliantis, & deliberantis: & ideo quidquid fornicationis ante hoc invenitur per accidens, peccatum mortale non est; ubi autem ad hoc pervenitur, statim peccatum mortale esse incipit: unde etiam si usus exteriorum membrorum, & delectatio eorum esset sine voluntate tali, peccatum non esset; sicut beata Lucia dixit: *Si irrogam me violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Sed consensus adveniens actui exteriori facit peccatum mortale. Similiter appetitus sensualitatis, & delectatio consequens appetitum, ante consensum rationis deliberatæ, peccatum mortale non est, sed post consensum rationis deliberantis peccatum mortale incurritur.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut ratio inferior regit vires sensibiles, ita ratio superior regit inferiorem: unde sicut in viribus sensibilibus est virtus, & vitium, ex hoc quod participant regimen rationis; ita etiam in inferiori ratione potest esse peccatum mortale, ex hoc quod regitur à ratione superiori, cujus est advertere divina præcepta.

Ad secundum dicendum; quod, sicut dictum est, non dicitur diuturna delectatio propter moram temporis, sed ex consensu rationis deliberatæ.

Ad tertium dicendum, quod consensus in veniale quod est veniale ex genere, ut verbum otiosum, non est mortalis; sed consensus in illud veniale quod est veniale per accidens, bene potest esse mortalis: quia per talem consensum removetur illud accidens quod rationem peccati mortalis auferbat, scilicet delectationem rationis non attingere.

Ad quartum dicendum, quod etiam interior delectatio divino præcepto prohibetur, ut per hoc quod dicitur Exod. xx. 17. *Non concupisces rem proximi tui.* Si tamen nullum tale præceptum esset, adhuc ratio non sequitur: quia ex hoc ipso quod aliqua operatio prohibetur, designatur esse per se mala, in quocumque sit tam ipsa, quam delectatio ejus, nisi per accidens prohibeatur.

Ad quintum dicendum, quod secundum diversitatem operationum est diversitas delectationum: unde alterius naturæ est delectatio quæ sequitur operationem appetitivæ virtutis, & delectatio quæ sequitur operationem cogitativæ. Sicut enim cogitatio de homicidio, vel luxuria, sine appetitu aliquo, non reducitur, nisi inordinata sit, ad genus luxuriæ, vel homicidii; sed ad aliud genus, quod est curiositas, vel vanitas; ita etiam delectatio consequens talem cogitationem non pertinet ad genus homicidii, vel fornicationis: unde consensus in talem delectationem